

EPISTOLA DEDICATORIA. xiii

ratum studio Josephi Simonii Assemani, cujus in hac Editione adornanda, quemadmodum in reliquis muneris sui partibus, incredibilis est cura; dum ipse Episcopali sarcina, & quidem in eo Italiae tractu, qui multum Roma distat, gravatus, ad hujuscemodi labores, videlicet ad latifundium, quod a SANCTITATE VESTRA excolendum accepi, nihil (quod dolenter dico) me conferre posse confiteor. Faxit Deus, ne saltem in iis, quae Pastoralis oneris sunt, inutilis pariter servus deprehendar. Porro qualem in eo regimine curam adhibeam, sinat SANCTITAS VESTRA, me paucis hoc loco aperire, ut ardua quaedam forti a me animo suscepta, Apostolicæ Tuæ Benedictionis praesidio citius atque feliciter ad exitum provehantur. Zelo domus Dei actus, pro viribus incumbo exaedificandæ Cathedrali Ecclesiæ, ultra sæculum construi cœptæ, cujus primordia (& ea quidem, ut veterum Brixien-sium religio ferebat, magnificentissima) longo jam situ labefacta squallebant; quo circa grande hac tempestate fervet opus, omnesque in maximam spem adducti sumus, benigne facturum Dominum in bona voluntate sua, ut sacri illi muri ædificentur. Presbyteros Congregationis Missionis, ad euangelizandum pauperibus, & Ecclesiastici ordinis decorem promovendum apprime utiles, Brixiam primus accersivi, eisque Diocesis meæ servitio, supremo Ordinis Praefecto assentiente, mancipatis necessaria ipse suppedito absque cujusvis impendio; domicilium vero in Episcopalis Se-
minarii